

IOANNES STANDOCK MECHLINIENSIS.



Ioannes ille Mechliniæ natus & educatus fuit. Is postea se Louanium contulit, & in ea Academia adeò profecit, ut doctissimis Theologis annumeretur. erat etiam morum sanctitate insignis, & in primis pauperū singularis patronus. Hic cum pro sua prudentia intelligeret Deo nihil gratius esse quam optimè spei pauperes adolescentes publico sumptu alere, ut certum Reipublicæ & Ecclesiæ seminarij, Louaniæ ex paternis & acquisitis bonis anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo pauperum Collegium instituit, quod à sui Institutoris nomine Standonicum appellatur. Iuvenes qui in eo aluntur, primùm Philosophiæ, deinde sacris literis operam impendunt. Complures etiam in eo contubernio adeò inclauerunt, ut ad Ecclesiarum gubernationes, & alias præclaras Reipublicæ functiones uocati fuerint. Itaque Ioannes ille non tantum uiuens presentibus, sed etiā mortuus posteritati præclaro suo instituto profuit. Paraleypom, Vrsper,